



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quod sponsa potest eligere monasterium sine consensu sponsi. G

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Quando incipiat esse coniugium.*

*Amb lib de  
institu. vir-  
gins, cap. 6.  
tom. 1.*

*In lib. etym.  
9. cap. 7.*

*In lib. 1. de  
Nuptiis &  
concupisc.*

*c. 11. in to. 7.*

*Matth. 12. d*

*Luca 2 g*

Quod enim ab ipsa dispensatione, in qua pactio  
coniugalis exprimitur, coniuges sunt, sanctorum  
testimonia probant. Ait n. Ambr. Cum initiatur  
coniugium, coniugii nomē asciscitur, cum cō un-  
gitur viro, cōiugium est, non viri admixtione co-  
gnoscitur. Idē līd. Coniuges verius appellantur  
à prima desponsationis fide, quamuis adhuc inter  
eos ignoretur cōiugalis concubitus. Itē Aug. Con-  
iunx vocatur ex prima desponsationis fide, quam  
concubitu non cognouerat, nec fuerat agnitus.  
Nec peierat, nec mēdax manserat cōiugis appella-  
tio, vbi non fuerat, nec futura erat carnis illā cō-  
mixtio. Propter quod fidele coniugium ambo pa-  
rētes Christi vocare meruerunt, nō solum illa ma-  
ter, sed etiā ille pater eius, sicut coniunx matris e-  
ius: vtrunq; tamen mēte, non carne. Ex his euidē-  
ter insinuat, quod ex tempore, quo intercedit  
consensus voluntarius ac maritalis, qui solus con-  
iugium fecit. veri coniuges sunt sponsus & sponsa.  
*Secundum quosdam non est coniugium ante carnalem copu-  
lam, sed sponsi & sponsa sunt.*

Quidam tamen asserunt, verum coniugium non  
cōtrahi ante traductionem & carnalem copulam:  
nec vero coniuges esse aliquos, antequam inter-  
cedat commixtio sexus: sed à prima fide despon-  
sationis vir sponsus, & mulier sponsa est, non con-  
iunx. Sponso autem & sponsas coniuges frequen-  
ter appellari dicunt, non quia sint, sed quia futuri  
sunt: cuius rei sponsonem inuicem fecerunt: Et  
secundum hoc verba p̄missarum auctoritatum  
intelligenda fore tradunt?

*Qua ratione nituntur.*

Quod vero inter sponsam & coniugem pluri-  
mum inter sit, ex eo astruunt: quia licet spōs ante  
carnalem copulam: inconsulto vel nolēte sponso  
monasterium eligere: quo facto, spōso etiam licet  
aliam



aliam ducere? Coniugatus vero vel cōiugata, nec continētiam nisi cōmuni consensu seruare valet, nec monasterium petere, nisi vterq; continētiam pariter p̄fiteatur. Quod vero liceat sponsæ monasterium eligere, auctoritatibus sanctorum probatur. Ait n. Euseb. Pap. Desponsatam puellam nō licet parentib. alii viro tradere: tamē licet sibi monasterium eligere. Itē Greg. Decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo penitus censue-  
 runt damno multari. Refert etiam Hieron. quod Macharius inter Christi heremitas p̄cipuus, celebrato nuptiali cōuiuio cum vespere thalamum esset ingressurus, ex vrbe egrediens transmarina petiit, & heremi solitudinem sibi elegit. B. etiam Alexius similiter ex nuptiis diuina gratia vocatus, sponsam deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. His auctoritatibus & exemplis liquet, licere sponsis sine consensu suarum sponsarum, & e conuerso, continentiam profiteri.

*Quod coniugatus vel coniugata nequeant continentiam profiteri sine alterius consensu.*

Hoc a. coniugatis nullatenus licet. Non n. potest vir melioris vitæ propositum sumere sine vxoris consensu, & e cōuerso. Vnde Greg. scribēs Theotiz patritæ. Sunt qui dicunt religionis gratia, cōiugia debere solui. Verum sciendum est, quia etsi hoc lex humana cōcessit, tamē lex diuina p̄hibuit. Si vero vtriusq; cōueniat continentē vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Sic n. multos sanctorū nouimus cum suis coniugib. & prius continentem vitam duxisse, & post ad sanctæ Ecclesiæ regiminā migrasse. Si vero continētiam, quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quā vxor appetit, vir recusat, cōiugium diuidi nō potest: quia scriptū est. Mulier potest atē suæ carnis non habet, sed vir. Similiter & vir potest atē suæ carnis non habet, sed mulier. Idē, Agathosa, latrix p̄sentium, quæ ita est

*Greg. epist. 20. lib. 6. ad Fortunatum Episcop. & Hiero. c. 84. In vita Macharii de vita patrū.*

*Greg. epist. 39. lib. 9. Matth. 5. & 19. 6*

*1. Cor. 7. 6*